

DE MEDICAMENTIS

COMPOSITIS

DISSERTATIO,

QUAM

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA,

TUERI CONABITUR

IN AUGUSTISSIMO LUDOVICEO MEDICO


Die mensis Februarii, anni 1761, EDMUNDUS
ALEXIS GILLET, Cahorcianus, Diœceseos
Lingonensis apud Campanos, Magister Artium,
& in Almâ Universitate Monspeliensi jamdudum
Medicinæ Alumnus.



MONSPELII,

Apud Viduam JOANNIS MARTEL, Regis, Occitaniæ
Comitiorum, & Universitatis Medicinæ Typographi.

M. DCC. LXI.



ARGUMENTABUNTUR

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT,
Cancellarius & Judex.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus.*

R. D. ANTONIUS FIZES, *Pro-Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.



DE MEDICAMENTIS

COMPOSITIS.



SOLEMNIS est & obvia medicamentorum divisio in simplicia & composita. *Simplicia* dicimus quæcumque virtute medicatâ prædita spontè nobis objicit natura, vel ars variè, sed seorsim, præparat, mutat. *Composita* autem quæ ex intentione artificis è plurimis & diversis simplicibus conflata sunt. Horum mixturæ peculiare dicuntur *com-*

positiones, composita, recepta, formula, præscripta, illaque coaptandi ordo & modus *dispensatio*; unde dispensatorium dispensationum collectio, quæ & Pharmacopœa & Antidotarium.

Et si verosimillimum sit tentamina circa corporum naturalium *Soteres* vires instituta à simplicibus inchoata fuisse, ejusque sententiæ varia extent testimonia historica, attamen in antiquissimis Medicinæ fastis medicamenta composita reperire fas est.

Cyceones suos, aliasque mixturas, parcâ tamen manu, adhibuit Hippocrates. Plurimarum descriptiones extant Democriti, & quidem antiquiorum nomine inscriptæ apud Dioscoridem, Plinium, Galenum... &c.

Asclepiades ipse apud Romanos Medicinæ instaurator à medicamentis compositis non absolutè abstinuit ut ut pharmacorum osor famosus. A Mithridate devicto, ut triumphalis gæfæ partem opimam, celeberrimi Mithridatii antidoti formulam Romæ deportavit Pompeius; ad cujus deinde exemplar suam theriacam confecisse videtur Andromachus, multi- que ante & post illum Medici antidota sua, nam ante Plinii & Dioscoridis ævum, qui non pauca ipsimet descripsere composita, talia condendi grassatum est *Cachoete*.

Primò ergò circa medicamenta composita Medico inquirendum venit quid sint, & qualia sint, ipsorum essentialia, formale, partes & species.

Igitur 1º. De essentiali compositi indole.

Omne medicamentum sic dictum compositum rudi ingredientium

4

confusione, aut ad summum aggregatione conflatum, essentialem, post absolutam confectionem, supponit inesse suo heterogeneitatem; hac conditione differens à composito mixtione Chemicâ plasmato utpote quod diversis principiis constet, in corpus sensibiliber homogeneous, simplex, unum, coactis. Jam liceat à recto sermone, utili certè digressionem, paulisper declinare, quâ mox adhibitæ voces mixtio, aggregatio, confusio, definiantur, brevi commentario illustrentur: hæ enim in idiomate Chymico cui dubio procul rationalis subest, pharmaceutice, verè fundamentales sunt & principes; & ex illis ritè intellectis, nec aliundè, prodire valet quam sectamur medicamento compositi idea.

MIXTIO Chymica est binorum aut plurium corpusculorum individuorum, & specificè diversorum applicatio ad se mutuò, seu hæc naturâ, seu arte promoveatur, ex quâ nova exurgit substantia per exercitium vis illius universalis quâ materiæ partes ad se invicem vergunt, energiam suam in contigua fere corpuscula exercentis quam auctores Physici proposuere Newtonius & Keilius, & *attractionem cohesionis dixere*, quamque sana admittit Chemia, aut potius suam vindicat. in hisce tamen Physicam & Chemicam dissentientes habetis quod Physica, cum suâ materiæ homogeneitate, corporum consistentium cohærentiam à solâ partium vicinia deducat, an & quid ad hoc opus conferre valeat aliud principium ne quidem suspicata; Chemia verò toto suo experimentorum systemate edocta plures dari, easque diversissimas materias, de illis materiis novit quod quædam, mutux adhæisionis connubio, mox definitæ mixtioni habiles sint, quædam vero vel levissimum inter se nexum indomitè renuant. Obviam simplicissimamque hujus assertionis demonstrationem habebitis ubi frustrâ tentatum fuerit ex macrâ quadam terrâ & oleo, vel resinâ, vel metallo, quomodocumque ea versentur, massam quamdam per se constantem componere: spontè autem hæc fiet assimilatio si gypsum aquâ subigatur, aurum in hydrargiro fatiscat, sal aut gummi aquâ imbibantur, & millena hujusmodi. Quæ substantiæ talem inter se alunt relationem, miscibiles, reciprocè solubiles, affines recentioribus Chemicis dicuntur; hæcque ad copulam aptitudo, *solubilitas, miscibilitas, affinitas*.

Hoc unum nunc de mixtione Chemicâ generale effatum accipite quod illâ scilicet omnes pereant substantiarum combinatorum proprietates, aut saltem sopiantur, novâ resolutione tantum exsuscitandæ; quodque sit tanta ejus in mutandis corporum affectionibus efficacia, ut non solum ex illâ proprietates mediæ, seu è confluxu mutuo virium utriusque ingredientis contemperatæ exurgant, verum absolutè diversæ, & quidem oppositæ oriuntur; ubi v. g. è sulphure & calce vivâ utroque succorum aqueorum connubium respuente, utroque usui Medico interno-inhabili mixtum, constat illis succis solubile, & Medicinam internam cutaneis morbis, & pectoris quibusdam affectibus non ignobilem,

bilem, & pro arcano, hoc ultimo respectu, pluribus venditam. Sic frustra in fatuâ selenite deurentem calcem, & acerrimum acidum vitrioli requiras, in sapone summè caustici lixivii energiam, in oculis cancrorum citratis, sale aut tincturis corallii cretaceæ terræ virtutem absorbentem, &c.

AGGREGATUM dicimus systema corpusculorum identicorum, vel eminenter similium in massam homogeneam, unam densatorum, seu tali inter se relatione gaudentium quâ totum physicum seu corpus unicum constituitur; talisque systematis ordinatio *aggregatio* audit.

Ex definitione, duplicem aggregatorum speciem advertimus; altera sunt exquisita quæ scilicet ex identicorum unione oriuntur; talia sunt omnia corpora sensibilia inanimata seu inorganica, quæ pura & simplicia Chemicis dicuntur: aqua v. g. sal, vitrum, gummi, filix, &c. Altera quæ ex similium omni arte inextricabili permixtione conflantur. Talia sunt plurium mixtura oleorum expressorum, extractorum, spirituum ardentium, &c.

Hanc etiam *aggregati* unicam conditionem pro præsentis proposito annotasse refert, quòd quidem aggregatoriâ copulâ adunatæ substantiæ nullo modo pristinas proprietates amittant, vel novas nanciscantur.

CONFUSA seu confusione intermixta corpora dicimus quæ specificè diversa, individua, vel in minutas, & indefinitæ parvitas moleculas divisa, turmatim & nullo contracto nexu, nullâ subeunte alteratione, in heterogeneam massam coguntur. Sub tali schemate prostat diversarum substantiarum in eodem liquido simul persistentium solutio; ut v. g. plurium salium, sacchari, gummi, &c. pulveres compositi, arenæ tenues, turbidæ potiones Medicæ, &c.

His breviter quantum licuit prænotatis, ad propositum revertor, rursusque sic medicamento compositi definitionem trado.

MEDICAMENTUM COMPOSITUM est plurium simplicium congeries, merâ confusione, aut ad summum aggregatione constans.

In illam ergò medicamentorum classem referre vetat natura rerum, composita Chimica quâ talia, sensibilibus homogenea, saponem v. g. salia neutra, æleo-sacchara, &c. quæ quidem omnia simplicia, sensu pharmaceutico, reverâ extant, & quidem simpliciora plerisque præsertim sic dictis simplicibus ex regno vegetabili, & animali depromtis: hæc enim omnia sunt composita naturalia vera, chimica, compositissimum v. g. lac, compositissimum vegetabile extractum, compositum balsamum, &c. atqui hæc omnia in simplicium pharmaceuticorum censu annumerantur, ergò rectè prædicta composita Chimica artificialia Pharmacologis pro simplicibus habenda, ut reverâ communissimo usu habentur.

Dantur tamen medicamenta mixtione Chemicâ parata quæ compositis pharmaceuticis meritò annumeranda sunt: ubi enim in composito Chimico cujusdam occurrit principii heterogeneitas, multiplicitas, ex

aggregatione coagmentatio, tunc prodit medicamentum *compositum*, definitione nostrâ generali comprehensum, vera exurgit compositio pharmaceutica. Talis obtinet in spiritibus aromatico-oleosis *Sylvii*, ubi oleum æthereum è diversis aromatis prodit, in aquis stillatitiis compositis, aquâ theriacali, v. g. ubi spiritum aromaticum plurimæ substantiæ vegetabiles eructant, in decoctis quibus plurimæ plantæ extractum suum largiuntur: tunc enim mera tantum datur aggregatio inter varia olea, varios spiritus, varia extracta, quæ suo concursu oleum compositum, spiritum compositum, extractum compositum constituunt.

Ideòque ipsismet compositionibus Chemicâ arte paratis hæc obtinet conditio quam compositis essentialem esse proposuimus, nempe *heterogeneitas*. Unde patet definitionis nostræ generalis legitimitas.

Hoc rursus animadvertendum circa illud negotium quòd in censum ingredientium non annumerentur sic dicta excipientia aut vehicula, & condimenta, ne memorem aromatizantia, colorantia, &c. Sic syrupsus è medicamento unico paratus dicitur simplex quamvis aquam & saccharum necessariò admittat. Eadem ratione decocta extant simplicia, tincturæ simplices, olea per infusionem simplicia, &c. ex his merè theoreticis, ast rigorosæ demonstrationi submittendis considerationibus spontè fluit animadversio, ad medicum usum magis immediatè attinens, quòd scilicet, in mixturâ pharmaceuticâ, immutata persistent omnia simplicia ex quorum coacervatione conficitur; ingrediens quodlibet proprium ens physicum, proprias facultates Medicas retineat; quòd jam summo in arte Viro Joanni Zwelfero notatum, contradicente vulgatissimo præiudicio, nequiquam tamen deletò.

Igitur in compositionibus pharmaceuticis seu similia (quoad virtutem medicamentosam) similibus, sive varia variis, & quidem contraria contrariis intermiscueris, nullius ingredientis facultas vel leviter mutata est, mutata, inquam, ex sodalitiis contracto: hic enim nequiquam agitur de variis accidentibus, præparatione inductis, volatiliis v. g. dissipatione, fœculentorum segregatione, &c. Sic in potione purgante in quâ senna decocta fuit, dissoluta manna & sal, intromissus rhabarbari pulvis, seorsim & sui quodlibet juris persistent extractum sennæ, manna, sal, rhabarbari extractum, rhabarbari ramenta, & quædam terræ portio è rhabarbari extracto sponte præceps. In julapio refrigerante & narcotico è quædam aquâ fatuâ distillatâ, sirupo diacodii, & succo citrâ parato seorsim & immutata existunt papaveris extractum, saccharum, succus citri. Dum efferi, aut heroici cujusdam medicamenti, tartari stibiati putâ, vehementiorem stimulum infringere studet Medicus, mannâ v. g. cum illo exhibitâ, non idcirco confidat se tali connubio tartarum stibiatum realiter immutasse, & ut dicunt, acumina ejus obtudisse, invisasse, mannæ ramentis implicasse, obvolvissè, vel, ut concinniori imagine exprimunt, vaginulis condidisse. Tales implica-

tiones ab ipsiusmet mixtionis Chemicæ ideâ jamdudum Becheri inconcussis dogmatibus excussæ, quantò minùs merè confusaneam associationem ponere aut repræsentare valent. Quæ utinam talia Boyleanæ Philosophiæ commenta, excultissimam theoriam Medicam adhucdum infestantia, in hanc, antesignano præprimis Boërhaavio, intrusa, tandem universo orbi Medico affulgente Chemicæ Philosophiæ sole, penitùs deleantur!

Itaque merâ pharmaceuticâ miscelâ, nulla datur realis medicamentorum alteratio, nullaque consequenter vera & directâ correctio. Dùm compositionum ingredientia adeò vires suas mutuò temperant ut exinde medius quasi seu remissior oboriatur effectus (quod non rarò ad Medici votum succedere ultro fatemur) illud tantùm præstant, quia, dum unum idemque organum, suo quæque modo, proritat utraque compositionis materia, remissioem, ex actione sic conjugatâ, affectionem experitur organum illud; ubi v. g. blando aquoso, dulci vel oleoso liquore affatim epoto laxatur, aut, si mavis, inungitur stomachus, debilior sanè in illum extat efficacia tonici, acris, stimulantis, deleterii si lubet, tali liquido innatantis Pharmaci; & reciprocè stomachus, universumque solidorum systema ex largo ptisanæ potu minus debilitantur, labascunt, si ex sic dictis diluentibus conficiatur, addito quodam ingrediente tonicâ virtute divite, quam si ex speciebus absolutè fatuis paratur. Sic, ut ad paradoxon meum de mannâ & tartaro stibiato revertar, ideò tali mixturâ non excitatur emesis in quibusdam subjectis (in omnibus enim idem non observatur effectus) quia manna stomachum, ut ita dicam, oblinat, vel irritationi ex emetico, quocumque alio modo, minùs obsequiosum reddit, vel potius in illum motûs directionem illam excitat quâ emeticum secum vehens ipsa ad intestina amandetur, seu, quod idem est, motum illum quem subit stomachus dum suam in illum exerit actionem catharticum quodcumque. Nunc id sedulò advertendum reales dari quorundam medicaminum correctiones ex miscelis quæ, primo intuitu, in nostrorum compositorum classem accensendæ videntur: spiritum vini v. g. & acida mineralia, additâ aquâ summè mitescere; olea caustica ætherea oleis expressis; hæc eadem, tum & balsamica, resinosa, si vitello ovi vel saccharo subacta, liquidis aquosis intimè miscibilia reddantur; quod admodum notabile in præparatione emulsionis purgantis ex validissimis jalappæ & scammonii resinis, saccharo decenter, impigrâ, scilicet, peritâque manu subactis, quæ benignam sanè catharsim ipsis delicatis mulierculis cient. Verùm illæ alterationes non meræ sunt associationes Pharmaceuticæ, sed mixtionis Chemicæ species; quæ quidem distinctio (ne hic allucinemur) neutiquam speculatio nuda censenda est, sed præxim Medicam in re gravi immediatè dirigens; ex illâ enim utile hoc emergit documentum, cujuscumque toxici qualitates deleterias nullis destrui assumptis merè Pharmaceuticis,

mixtionem realem neutiquam cum venenis subeuntibus; ast quædam potentissima venena, acida, v. g. mineralia, in innocuos & quidem salutare usus facile verti, mixtione Chimica, illorum nempe copulâ, ad saturationem, cum alcalicis tum salinis, tum terreis: ex quo quidem documento generali istud progerminans singulare pro exemplo ster, quod nempe dum deglutiti sublimati corrosivi noxas lacticiis, oleosis, pinguibus, miscelâ scilicet Pharmaceuticâ præcavere contendis, hunc scopum tutius & melius assequaris, cæteris paribus, alcalia decenter diluta propinando, novam, scilicet, mixtionem Chemicam moliendo, ex qua veneni destructio realis.

Illud postremò notandum mox prolatas observationes tantum valere de compositionibus recentibus, aut inalterabilibus. Dùm enim seu ex propriâ indole, seu ex præparationis vitio, lapsu temporis inductus est motus intestinalis fermentativus, variè alterantur compositionis ingredientia; sic acescit emulsio, aliquantulum spirituaescit theriaca ex vitio præparationis virtutes naçta, nisi tamen vulgaris de hac re opinionis dubia fides, meroque præjudicio innitatur tam decantata veteris theriacæ præcellentia; quod quidem ad melius examen revocare non est præsentis propositi. Nostræ autem assertioni de integritate singularum & individuarum facultatum in compositis simul perstantium, novum prodit firmamentum; quòd, alterationes illas ex ingredientium actione & reactione in se mutuo mox memoratas præcavere, prima sit lex compositionis Pharmaceuticæ ut in sequentibus proponemus.

Determinatâ jam compositi Pharmaceutici verâ & fundamentali indole, jam perpendenda illius constitutio, quoad certas classes, sub quas varia ejus ingredientia ordinarunt, partesque compositi dixerunt: non enim quæcumque compositi ingredientia eodem nomine in illis usurpantur, sed varia vario munere diversoque titulo. Hæ compositi partes sunt *basis*, *adjuvans*, *dirigens*, *corrigen*s, *constituens* seu *excipiens*, *conservans* seu *condiens*.

BASIM dicunt medicamentum illud quo indicationem suam primariò & directè adimplere studet Medicus, hanc multifariam, & superflue sanè sub vario respectu distinguunt. Non sine aliquo commodo dividi tamen potest in *simplicem* quæ unico medicamento, & *compositam* quæ pluribus constituitur; in simplicem item & compositam ratione indicationis unicæ vel multiplicis cui prospicit; sic laudani liquidi Sydenhamii basis est utroque respectu simplex, opium; potionis purgantis basis, quoad indicationem, simplex, quoad medicamentorum numerum, composita; senna, manna, sal ebeshamense, &c. Diascordii basim utroque respectu compositam efformant opium & varia stomachica, cardiaca, hysterica, adstringentia, &c. quibus conflatur celebre illud antidotum.

ADJUVANS dicitur quod basis actioni quomodocumque opitulatur. Sic jalappæ vel scammonii pulveris grana aliquòt, vulgaribus potionibus catharticis.

catharticis addita, in illis, adjuvantis munere fungi dicerentur. Sed malè & pueriliter, ut cuicumque patet, à basi distinguitur sic dictum adjuvans, ideòque jam unâ minor partium compositi numerus.

DIRIGENS sic definitur quòd, organo peculiari addictum & familiare, ad organum illud ducat & adigat, quâdam substantiæ sympathyâ, medicamen ex se vagum & indifferens, vel ad aliud organum proclive; sic cerebrum potentius purgare confidebant Antiqui, catharticis sic dicta cephalica admiscendo. An realis vel fictitia compositi pars sit dirigens, infrâ disquiretur. Verùm etsi quædam, mox definito sensu, medicamento principis per aliud observaretur directio; ne idcirco nostro sæculo irridendum dirigentis nomen in idiomate Medico retineatur: commodè enim directionem præstans ingrediens, ad basim, ut & adjuvans referri posset.

CORRIGENS compositorum quorundam pars extat effectû proprio realiter distincta. Ejus theoriam in prægressis jam adumbravimus, comoda ejus & incommoda in sequentibus disquiremus.

EXCIPIENS seu constituens illud est quod alia compositi ingredientia continet, & in desideratam formam redigit; potionis vel apozematis excipiens est aqua communis; syrupi compositi, syrupus quâ talis, aqua scilicet saccharo gravida ad saturationem; theriacæ, mel & vinum.

CONSERVANS vel **CONDIENS**, ultima compositi pars, est substantia quælibet, organum destructionis naturale, & catholicum in vegetabilibus præsertim & animalibus, aquositate nempè, ità occupans, & mixtione Chemicâ irretiens, ut ejus influxus in cætera compositionis ingredientia præcaveatur; illud autem condimentum saccharo, & vini spiritu præprimis obtinetur.

Quæcumque hucusque prolata, omnibus compositorum generibus communia sunt. Dùm autem ad illorum peculiarem considerationem nunc devenimus, illorumque species dinumerandas habemus, prima se spontè objicit divisio, in *magistralia* & *officinalia*.

MEDICAMENTA magistralia, quæ & extemporanea, ea dicuntur quæ, indicatione datâ, illicò conficienda & exhibenda curat Medicus; officinalia verò quæ, juxtâ dispensationes in antidotariis consignatas, in futuros usus parantur, & in Pharmacopeorum officinis asservantur.

His autem notis inter se discrepant composita magistralia & officinalia posteriora longo apparatu è majori ingredientium cumulo ut plurimum concinnantur, & tali consistentiâ donantur quâ durabilissima fiant. Priora verò expeditâ præparatione, & parciore medicamentorum aggerie, posthabitâ sæpissimè conservationis curâ, adornantur.

Utraque in species distribuuntur, variâ, quam formam dicunt, consistentiâ, determinatas. Prioris sunt speciei decocta, ptisanæ, julapia, potiones, eclegmata, boli, cataplasmata, embrocationes, &c. posterioris,

strupi, electuaria, pillularum massæ, olea per infusionem, balsama, emplastra, &c. Verùm quia, solis, ut arbitror, electuariis exceptis, omnes medicamentorum formæ, simplicibus pariter & compositis competunt, aut saltem in compositione suam non habent rationem; quia etiam illarum absolutissima enumeratio, singularumque descriptio, conficiendi modus, commoda & incommoda in plurimis libris omnium manibus tritis fusè admodùm consignantur, his omnibus supersedemus lubenter, & consultò.

Sic adumbratis Pharmaceutici compositi indole, partibus, speciebus, teoriâ, practicam nunc circà composita agitemus quæstionem, scilicet, utrum sint quid in se bonum, & præstans, seu an, ad medicamenta simplicia collata, necessarium aut saltem utile morbis præcavendis & profligandis subsidium profundat medicamentorum compositio.

Quidquid ad istius problematis, maximi fanè inter res medicas ponderis, solutionem nobis conferre videbitur, in utramque partem exagitationum candidè proponemus.

Compositorum laudes & nomen primâ fronte atterit theleologica illa animadversio, quòd ingenua naturæ beneficæ dona nefas sit, aut saltem inconsultum artificiosis mixtionibus violare. Illud præjudicium, quod se primo intuitu hausisse fatetur *Helmontius*, sed mox, succurrente accuratiori meditatione, excussisse, sic exprimit: „Ego in primis compositionem sinceram admiror magnopere quæ, componente Deo, facta est in *Consolidâ*, nempe plenum remedium ossifragii reperio, habens cuncta quibus opus habet; quibus si bolum, acetum, aliave aliena admiscueris, jam mixturam à Deo ordinatam corrupisti.” Hujusmodi contemplationes, quæ vanâ quâdam philosophiæ & pietatis specie plures deluserunt, tantæ molis *Hæquerio* præ omnibus visæ sunt, ut tractatus integros de sacrilegâ corporum naturalium per humana artificia immutatione conscripserit, remediis, præsertim Chemicis, iteratos, sed invalidos & irritos ictus, præ summâ inscitiâ, deplorandâque superstitione incutiens. Ast quis divinorum munerum fanus æstimator tam inconsulti zeli protinùs hallucinationes non detegit, hominem repræsentantes quasi foret ad belluarum instinctum depressus, omnes suas artes nefandâ audaciâ invenerit, perfecit, nec ei magnificentius gratificarum esset Supremum Numen, dum ei mentem insufflavit industriam, quâ omnes liberè regeret mutationes ignobilioribus creaturis in proprios variosque usus inducendas. Hoc igitur in remediorum compositionem injectum telum hebes est & frustraneum.

20. Compositionibus pharmaceuticis in genere non illa objicimus vitia, quæ barbaris & inconcinnis, artem reverâ foedantibus meritò exprobrarunt summi artis reformatores *Quercetanus*, *Lefevre*, *Zwelferus*, *Lemeri*, aliique; seu hæc sint rudium artis inventorum, seu quocumque sæculo imperitorum foetus. Hoc enim foret excultissimæ arti im-

perfecta sua exordia, & inferiorum opera exprobrare. Compositiones pharmaceuticas hinc consideramus pharmaciae chemicæ rationalis præceptis quantum licet expurgatas, & reformatas.

Nec ea etiam in censum vocamus quæ adversus compositiones Galenicas, quæ tales, declamarunt Chemicæ qui therapeuticen excoluerunt principes, illorumque Affectuum ignara & fanatica fæx. Pleraque enim hostili odio, potius quam æquo & tranquillo iudicio in Galenistas oblatrarunt; illis tamen directè assentimus, dum Galenicorum compositorum incommodam molem incusant, remediaque Chemica contrariâ dote extollunt; summum enim in praxi medicâ, non uno titulo, exurgit emolumentum ex medicamentis, quorum vis in exiguâ admodum mole contracta est: neque hæc est remediorum chemicorum, & præprimis validissimi tartari stibiati ultima laus.

30. Compositionibus directè adversatur à priori sequens consideratio: scilicet compositiones non rarò adornat Medicorum plebs, dubiâ & anxîâ fide de singulorum simplicium viribus sperans, arte porrò ultra modum conjecturali, si plurima confertim accumulent, se per unum alterumve præstituros, quod non fiet per reliqua, vel sub spe fortuiti ortus novæ & incertæ facultatis è plurium mixturâ, remedio ut dicunt medentem solertiâ vincente. Sic (meliori tamen verosimiliter scopo) celeberrimus alienigena Medicus, dum Parisiis ab uno alterove anno tanta famâ florebat, pro inclita muliere fœni succum parandum præscripsit, stupenti pharmacopæo, & quidem fœni è quocumque prato decerpti, ut ille, de insolito composito ulterius interrogatus, dilucidè expressit. Jam hæc eadem formula excogitata fuerat ingenioso cuidam fabulæ conscriptori, qui Medicum in scenam introduxit ægro cuidam fœnum præscribentem, quantum plaustro vehi potest, hâcque fiduciâ fretum, in tanto simplicium numero, quoddam verosimiliter adfuturum quod ægrotanti opem ferret: quæ quidem ludicra, sed acris absurdi usûs castigatio, nobis sufficienter rem fecare videtur.

Verum, quamvis inficitia & cunctantia mox notatæ sat indecoram præbeant plurimis compositis pharmaceuticis originem, illis adhuc ignobilior sanè assignari potest. Quis enim nescit plurima illorum edidisse, & in dies edere vanam scientiæ ostentationem, peculiaris famæ, & lucri per arcana studium, stolidam & audacem empiricem, dolum ipsummet & abominandam vendentium fraudem: gravior adhuc & citra, declinationis spem accusatio exinde petitur, quòd medicamentorum compositio, ut est hodiè, & jampridem usitatissima, occasionem præripiat quâ simplicium genuinæ dotes apprimè innotescant, & iteratis observationibus consent; quòd summum est incrementi artis impedimentum.

Verum, ut ipsum rei nodum pressius attingamus, argumenta pensitemus, quibus medicamentorum compositionis utilitatem, & quidem

necessitatem stabilire contenderunt defensores ejus à Galeno ad nuperimum usque Pharmacopœæ adornatorem; quæque causas componendi dixere.

Hæ autem sunt, ex Fernelii recensione, primariae & necessariae: medicamento simplicis penuria, ejus perversitas, affectæ partis conditio, & affectuum varietas, quibus secundariam subjungit, comparandam, quantum licet, medicamento jucunditatem.

Hæc ordine & breviter perstringamus; 1^o. Medicamento simplicis penuriam.

In hujusce quæstionis limine confitendum experimenta deesse, quibus simplicium singularium facultates ad analogas compositionum vires conferantur, ritèque statuatur alterutrorum præstantia; nam à multis abhinc sæculis, ut jam notatum, medicamenta composita tum officinalia, tum magistralia, Medici armamentarium pharmaceuticum ferè absolvunt, ut vix, paucis exceptis, in frequentissimâ praxi adhibeatur remedium absque quodam additamento; undè, in re tam gravi, hominum scilicet solatio & salute, certum & inconcussum decernere judicium nequimus de omnibus omninò medicis indicationibus, remediis verè, exquisitè simplicibus adimplendis.

Attamen in simplicium gratiam audacter asserendum, singulis tentaminibus circà simplicia solitariè adhibita institutis, illud, 1^o. Constare solo & unico simplici plurima perpetrari, æquè ac pluribus ejusdem profapiæ: extractum amarum terra *Catechu* vel Japonica dictum, tantum præstat (cæteris paribus) quantum extractum compositum amarum ex absynthio, scordio, carduo benedicto, & pluribus ejusdem indolis foliis; melissæ infusum, quantum species aromaticæ è foliis plurimarum ejusdem familiæ herbarum; creta sola, quantum oculi cancrorum, corallia, cornu cervi philosophicè præparatum; nasturtii succus id quod succus è cochleariâ, rapâ fativâ, & erucâ, ad nasturtii specificam acridinem temperatus; quis contradicere seriò audeat asserenti alterutrius ex quatuor radicibus aperientibus uncias quinque in decoctis æquivalere omnium *ana* uncizæ; malvæ manipulos duos tresve, pro enemate, vel cataplasmate, plantarum omnium sic dictarum emollientium *ana* semi manipulum, vel pugillum, non solum virtute æquare, verùm superare? pleræque enim plantæ sub communis virtutis titulo & usu malvæ assimilatae, mercurialis v. g. fenecio, parietaria, neutiquam cum illa virtute emolliente conveniunt, ut potè lentâ illa mucagine cui virtus emolliens insidere creditur, absolute orbatae.

2^o. Experimentis etiam comprobatur plurimas, easque in praxi medicâ primarias & principes indicationes simplicibus efficaciter adimpleri, quibus vulgò satisfacimus ex variorum specificè dissimilium congestione: pro exemplo sit promovenda catharsis, quam vulgò molimur tres quatuorve permiscendo substantias effectû externo & remoto similes, ast naturâ,

naturâ, & speciali operatione diversissimas, ex inodororum volatiliùm genere fennam, ex dulcium censu mannam, ex salium neutrorum familiâ sal. ebshamense, glauberianum, vegetabile, &c. ex extractorum terreorum classe rhabarbarum, &c. nonne graduale ejus & accuratissimum moderamen ex hâc sequenti cathartîcorum simplicium scalâ sperari posset? non dico simplicium seorsim & solitariè exhibendorum, sed reverà pluries, & eximio successu exhibitorum. Sic autem se habet hæc scala; Aquæ minerales purgantes levissimæ, paulò validiores, validissimæ, bellilucanæ v. g., quæ, dum omnium indicantium ritè habitâ ratione exhibentur, inter benignissima cathartîca reponendæ sunt; cichorii decoctum vel syrumpus, oleum amygdalinum, cassiæ dilutum, manna, fennæ infusum cum dulcibus vel acidis vegetabilibus, rhabarbari pulvis, jalappæ pulvis qui malè & præconcepto terrore ut vehemens cathartîcum vulgò reformidatur, tartarus vitriolatus evecâ dosi ad unciam integram potentissimus, & innoxium hydragogum propriâ experienciâ comprobatum, pilulæ aloëticæ simplices, gummi-gutta cujus etiam energia iniquè æstimata, inter drastica & indomabilia malè relegatur, succus ireos nostratis, diacridium, seu melius sincerum scamonium.

Nonnè medicamina omnia, quæ rectè dixeris majora, quæ videlicet manifestâ & constanti efficacîâ utilissimos præstant effectus, tartarus putà stibiatus, hypecacuhana, opium, hydrargirum, kina kina, aquæ minerales, lac, &c. nonnè inquam, hæc solâ communissimo usu exhibentur? ubi summè demiror in nullius adhuc medici mentem venisse varias lactis species variè inter se miscere; nam cur, quæso, qui quatuor farinas emollientes, aut quatuor semina frigida præscribit, non quinque, sexvè lactis species promiscuè adhibebit?

Jam ad secundam componendi causam, simplicis scilicet perversitatem, cui postremam quam diximus secundariam, jucunditatis scilicet sectationem, sociare, objecti analogia postulat. Huc pertinet corrigentis suprà definiti dijudicatio.

In compositis autem, adhibito corrigente, immutandæ suscipiuntur basîs qualitates noxiæ, eveciores, aut injucundæ. De 10. scopo, scilicet de noxiarum qualitatum correctione ex additamentis, hæc annotanda veniunt.

10. Cathartîcorum & emeticorum noxas ad mentem Antiquorum æstimatas, acrimoniâ scilicet, flatulentias, viscerum debilitationes, qualitates in tertio quartove gradu calidas aut frigidas, vel occultè malignas, & quas tantòperè formidarunt, ut cuilibet cathartîco vel emetico corrigens suum affixerint, præprimis roborans & carminans, fennæ anisum, rheo. santalum, agarico zinziber, helleboro daucum, cuminum, &c. hæc, inquam, insita vitia iteratam & rationalem experientiam nulla absolutè demonstrasse, indèque è recentiorum præscriptis magistralibus talia penitè amandasse *corrigentia*, quibus tamen sub

inviato usûs imperio adhuc scitent nobilissimæ compositiones officinales, etsi reformatæ. Unde frustra & incommodè saltem crescit illarum moles.

2^o. Opiatorum per aromatica correctionem, ex more etiam Anti-
quorum, cui paruisse videtur Sydenhamius in dispensatione laudani sui
liquidi, neotericis nequam haberi necessariam, verum ex intentione
medici, nunc instituendam, nunc negligendam.

3^o. De secundo scopo, scilicet de evectiore facultate per addita-
menta castrandâ, illud sciendum, reale & utile dari nimix catharcti-
corum energiæ corrigens, substantiam dulcem seu mucosam, ex fruc-
tibus eminenter dulcibus, uvis passis, ficibus, dactylis, jujubis, prunis,
cassia, tum & quibusdam radicibus, polypodio, glycyrrisâ, extractam.
Hæc in electuariis catharctis validissimis permixta, adeo actionis
suæ concursu, illorum violentiam temperat, ut talis compositi dosis
communis, innoxie sustineat duplicem potentissimi purgantis dosim;
scamonii v. g. in electuario cariocostino aut diapruno solutivo, scrupulum
integrum, & quidem dragmam semissem, quod nudum solita-
riumque, vix ad 12, 15ve grana exhibere licet: fennæ, si cum
fructibus dulcibus coquatur, non solum execrabilis sapor ex parte cor-
rigitur, sed hæc in benignum prorsus medicamentum cedit. Idem
præstant in syrups, conditis, confervis, & saccharum & mel.

Postremò & quoad tertium correctionis scopum, observandum rea-
lem etiam ex mera permixtione obvenire correctionem saporis, odoris,
coloris; correctionem, inquam, minimè, dum licet, contemnendam:
jucundum enim (quantum finit primariò respicienda vis medicæ con-
servandæ integritas) sectari jubent non solum ægrorum dolenda satis
conditio, quin abominandis compositis ulterius divexentur, & in ven-
triculi everfionem, corporis conturbationem, animi deliquium vires exfol-
vens, deducantur; sed etiam insuperabilis fastidii periculum, præfer-
tim in infantibus & mulieribus, quod auxiliorum opportunæ adminis-
trationi obstet. His adderem, proprium medici commodum ex tali
humanitate utile nomen certe consecuturi, si hoc foret nobilis artis
ingenuo cultori sat honestum invitamentum.

Ingratus autem medicamentorum corrigitur sapor, præcipuè saccha-
ratis & acidis vegetabilium succis; odor, aromaticis, aquis, spiritibus
distillatis & oleo-saccharis; color, additis cinnabari, fantalo & similibus,
sed maximè, dum licet, percolatione, subsidentiâ, clarificatione ex ovi
albumine; quæ quidem media, utpotè à compositione propriè dicta
aliena, non nobis perpendenda veniunt; eadem ratione moti, plurima
alia, etsi gravia, de medicamentorum correctione effata silentio præte-
rimus. Hæc si quis desiderat in elegantissimo celeberrimi Gaubii libello,
de methodo concinnandi formulas medicamentorum, egregiè expressa reperiet,
& in Encyclopediâ ad verba copulata *correctif & correction. (Pharmacie.)*

Nunc de tertia componendi causa, partis scilicet conditione. Hæc

partis conditio à situ, respectu ad primas vias, potissimum æstimatur. Dum itaque pars affecta ab illis plurimum diffusa est, ut cerebrum, uterus, & plurima viscera, additum tale exposcit quod medicamento basi ad se dirigat virtute supra (dum de sic dicto dirigente agebamus) definita. Dirigentis nomen jam tunc expugnāvimus, nec sanè magis nobis arridet res ipsa, ut econtra merè excogitata, imaginaria, nullis saltem experimentis suffulta, ideòque absolutè nulla, nostro iudicio, pronuntiari debeat ad mentem Antiquorum directio. Nec ad illam meritò referres supra memoratam tartari stibiati ex mannâ versùs inferiora deductionem, aut absorbentium, nè malâ morâ, stomachum lædant, ex additione pulveris cathartici ad intestina detrusione; hæc enim quæ in praxi medicâ sola forsitan occurrunt exempla, talem directionem mentita, nemo non videt quantum ab electivâ directione ad diffusa, effectu discrepent, & quàm infidâ analogiâ jure è medicina expulsum Antiquorum figmentum revocarent.

Quartam componendi causam gravissimam & maximè necessariam dixere, varietatem, scilicet, affectuum, quâ sic dictas morborum complicationem, compositionem, & multipliciter intellexerunt; hancque sic æstimaverunt, ut contenderent nulli simplici vim inesse depellendi compositum affectum. Nullam absolutè hanc esse causam audacter pronuntiandum, enatam porrò, nescio quo studio, potiùs decenti proportionem coordinandi affectus & remedii convenientiam, quàm in praxi revera occurrentia dinuntiandi. Etenim organum unum seu internum, seu externum animo fingatur intemperierum omnium compatibilium, obstructionis & ulceris agmine obrutum, quis idcirco tam rerum therapeuticarum rudis, ut cuique vitio peculiaris remedii simultaneam applicationem se debere arbitretur? si occurat puella chlorosi simul, cruditate, & vesicæ calculo laborans, cui medicorum in animum incidet emmenagoga simul, emetica & lithonriptica tali ægrotanti exhibere? Morbi compositi, acuti potissimum, curatio generalibus maximè, ideoque simplicibus indicationibus regitur; & reciprocè è simplicium categoria affectus, pluribus indicantibus, composita aliquandò remedia exposulare valet. Et ut altiùs rem attingam, vana est in praxi morbi simplicis & compositi doctrina; indicantium inter se, & illorum cum contra-indicantibus variæ combinationes, veram disciplinam medicam in hoc puncto absolvunt; huic simplici notioni si causam componendi reduxeris, hanc verum & legitimum componendi finem non rarò præbere ultrò fatemur; sed nec adhuc strictè necessarium, ut ex accuratiori hujuscè propositionis disquisitione, patebit.

Quæ ut ordine procedat, divisionem mox notatam prosequamur. 1^o. Considerantes indicationes contra-indicantibus temperatas, 2^o. Diversarum indicationum compositiones varias.

Sub priori classe has tantum in praxi obvias memini componendi

occasiones, 1^o. Resolvendi simul & diluendi, seu laxandi intentio, vel potius resolvendi primaria intentio sub dilutionis & relaxationis, ut ita dicam, præsidio & tutelâ; quæ quidem, excepto laxitatis extremæ casu, in frequentissimâ praxi indissolubiliter maritantur. Huic autem complexæ indicationi, ex aposemâtis, ptisanis, jusculis variè compositis, eximio successu satisfacit. Verùm non infimâ laude naturali, & simplicissimo remedio aquis nempe mineralibus, natrosis, glauberianis, martialibus.

2^o. Si manifestè indicetur plena purgatio per alvum, sed illam contra-indicet, quoad gradum, abdominis, vel corporis integri æstus, ut in causo v. g., tunc utiliter sanè sennam ex acidis dulcibus, salinis blandis, juniorum animalium decocto tempero; verùm mihi præstò sunt seorsim, & absque additis, manna, cassia, meliores etiam tamarindi, & omnibus ansam præripiens sal mirabile glauberi decenter dilutum.

3^o. Catharsim movere, simulque motus spasmodicos compescere aut præcavere; quod quidem aliquandò, rarò tamen, & in assuefactis necessarium est, hæc, inquam, indicatio compositionem ex cathartics & opiatis vel histericis, aut ex trino genere simul, absolutè requirit. Talem enim virtutum complexionem minimè profert natura.

4^o. Verè indicata emesis, sub ipsa virium prostratione, ex emetico cardiacis sociato tentanda; quæ non semel in febribus malignis successit, quamque inter palmaria artis subsidia habuit celeberrimus D. Chycoineau, dum viveret Archiatrorum Comes. Hæc, inquam, facultatum combinatio necessariam etiam postulat compositionem.

Sub secundâ classe variarum, nempe indicationum combinationibus, tres componendi causas solum reperio, & hîc non solum utiles, verùm etiam necessarias, unicâ exceptâ illicò memorandâ; compositissimâ videlicet intentione in tabidis acria demulcendi, siccas, rigidasque fibras benigno humore perfundendi, tubercula supurata abstergendi, cruda leniter resolvendi, deperditam perspirationem insensibilem restituendi: quos quidem multiplices effectus utiliter requiras in lactiniis, infusis aromatico-balsamicis, decoctis diaphoreticis blandis, maximeque in ipsismet balsamis tum nativis tum arte factis, mediante saccharo vel ovi vitellò, solutis; his inquam omnibus vario inter se permixtis verum, meliori procul dubio successu, in aquis mineralibus sulphuratis, magnifico sanè, stupendoque naturæ beneficio, tot variis virtutibus ditatis.

Necessariò ex compositione impetrandæ sequentium combinationes, omnes probatissimo effectû Medico commendatæ sic dictorum usitatissimo neologismo *fundentium*, & præsertim mercurialium cum cathartics, imprimisque aloë, sudoriferorum cum cathartics in notissimis ptisanis antivenericis, catharticos item & diureticorum copulatio in hydrope; in eodem affectu occulta vi aperientium & diureticorum; adstringen-

tium & opiatorum pro immodicis fluxibus compescendis; febrifugorum aut potius summi febrifugi corticis peruviani cum purgantibus terreis, vel resinosis, rheo, jalappâ, turbith, scammonio; è cruciatarum familia Turnefortii, anti-scorbuticorum cum amaris non aromaticis, lupulo v. g. trifolio fibrino, &c.

Cathartorum autem & emeticorum ad purgationem *ano & caro* simul ciendam, incommoda est & scopum sæpiſſime frustrans conjunctio; copulatusque hic effectus tutius & melius è ſucceſſivâ utriusque medicamento exhibitione obtinetur, ſeu præcedat emeticum, ſeu melius, eſi minùs uſuali ordine, emeticum tantùm porrigatur, ubi cathartica, unâ alterâve dejectione, ſuum in inteſtina acceſſum prodiderunt.

Externorum variis virtutibus divitum, utiles copulas breviter etiam recenſebimus.

Diſcutientia, reſolventia, maturantia, tùm & in nonnullis caſibus anti-ſeptica, emollientium conſortio gaudent, harum autem virium in eodem ſimplici congerie non abſolutè deſtituitur natura, ut è contra vegetabilia prioribus inſtructa viribus ut radices bulbosæ cœpæ, liliorum, ſillæ, radices helenii, herba tanaceti, folia acetosæ, ebuli, &c. abundanti etiam ut plurimum aquoſitate prægnant, dum ſicca uſurpantur ſacili negotio reſtituendâ, quâ illorum actiuitas ad medici votum temperatur; vel illis, ſi mavis, ſuccurritur. Huic intentioni tamen non incongruè obſequuntur artificialibus mixturis.

2º. Illis omnibus malè aut ſaltem fruſtraneâ quamplurimùm fiducia, dubioque ſucceſſu, narcotica ſeu ſtupefacientia maritantur; quorum tamen uſum externum ſemper & abſolutè vanum pronuntiare non licet.

3º. Cantharidum pro effectu epiſpaſtico extùs applicatarum, utiliter caſtratur effectus aphrodiſiacus & viùs urinariis inſenſus, additâ decenti proportione caphurâ.

4º. Barbara eſt ſummèque ſaltem inconcinna miſcella olei & vini, quâ madefacta lintea vel panni abdomini apponuntur, inflammationem ejus tùm præcavendi, tùm debellandi gratiâ, & quâ nulla uſitator in vulneribus viſcerum abdominis, tùm fortuito, tùm operationibus chirurgicis inſictorum.

5º. Eſi veritati minimè conſonum ſit quod plures in Galeni verba ſcripſere, virtutem emplaſticam nulli ſimplici inſidere; dùm plurima baſſama, reſinæ, cera hæc virtute non orbantur; & ad ſummum reſinarum & oleorum, baſſamorum, & ceræ, calciùm, plumbi & oleorum mixtionem chymicæ, omnes emplaſticæ, medicamenta verè ſimplicia ex prædictis conſtituunt; attamen emplaſtra glutinantia ex quadam conſtitutione, viſcoſis nempe reſinosis additis, meliorem certè vim nanciscuntur, emplaſtra diſcutientia, ſedantia, & actioui in interna dicata, neceſſariam etiam exponunt conſtitutionem.

Ast accuratiorem talium perscrutationem tentare non patiuntur hisce opusculis præfixi limites.

Ex omnibus autem hucusquè propositis animadversionibus, hæc, severâ consequentiâ, eruenda veniunt corollaria practica.

1^o. Medicamenta composita, quâ talia, nullâ scilicet ratione habitâ mendorum ex imperfectâ illorum præparatione oriundorum, ipsamet ergo composita pharmaceuticè perfecta, quid in se esse, vario respectu, malum, vitiosum, quid saltem artis imperfectionem arguens, incremento obstans, curationis instrumentum vanum, complexum, incongruum, ærumnis obsitum, injucundum, sufficienti, expedito, simplici, jucundiori, iniquo judicio, tralatitiâ fide, meliora tentandi negligentiam prælatum.

2^o. Medicamenta composita neutiquam arti habenda esse strictè necessaria, casibus mox memoratis exceptis, tum & illis quibus vulgò & antiquitus prospicitur, compositis probatissimâ virtute insignibus, hucusquè intentatis simplicibus, analogis, aut saltem illorum virtute iteratis fidisque experimentis nondum satis confirmatâ. Nam ut jam superius notatum, in tanta rei mole, experimentis solis datum est virtutes revelare, confirmare; hinc nihil faciunt speculationes, notiones à priori, analogismus ipse præstantissimum tamen novorum capessendorum organum.

3^o. Ex hisce binis se mutuò contemperantibus conclusionibus, & ex sequenti animadversione quod scilicet ipse redivivus Hypocrates non sibi jus & licentiam adrogaret, aut saltem incassum adrogaret, subitanam antiquissimo usui inferre vicissitudinem, hæc solum rursus concludimus, medicamenta composita jam usu consecrata, sobriè saltem adhibenda; absolutè etiam abjicienda, si in illorum concinnatione contra inconcussas compositionis leges passim in prægressis memoratas, moxque summariò tradendas, peccatum sit. Talia enim nec antiquissimus usus, nec peritorum omnium tacita probatio deffendunt. Si enim quod sit id semper foret quod faciendum, præfixo termino hærentes starent artes humanæ; nec unquam inutilia abigerent, mediocria perficerent. Hæc lege à pharmaceutico armamentario, excluditur theriaca, monstrum sanè horrendum, ingens, aut saltem ex illâ, terrea, cathartica, venena.

Id rursus concludimus ejusdem virtutis plurima non in usu habenda, frustra contrarium declamante Fullero, suam deffendente medicamentorum chiliada, vanâ hæc allegatione, „ quod ut Empiricorum captum „ superet Medicus, & Esculapii templum ardelionibus repurgetur, „ magnificè præscribendum sit, pulchrè variandum, &c. Nobilior sanè, meliorque Medicinæ Monspeliensis simplicitas, cujus constans sectatio non infimum elogium.

Tandem, sub necessariâ medicamentorum compositione, magistralia officinalibus, quantum licet, anteponenda esse.

Nunc postremò compositionis leges summarìò tradituri, illas tantùm proponemus quæ compositionem strictè consideratam dirigunt; binasque tantùm statuimus, 1^a. exinde petitur quod perfectissimum compositum remedium, seu simplici, seu complexâ virtute præditum, illud sit quod justâ partium proportione, harmonicâ, æquabili permixtione, simplex quam maximè æmulatur. Ab illo igitur ingredientia omnia exulent quæ rectè dixeris otiosa, molem præposterè augentia, seu sint absolute inutilia, vanum pondus, ut lapides pretiosi, auri vel argenti folia, terræ plurimæ, carbones, corrigentia suprâ ventilata, &c.; seu superfluâ identicorum multiplicatione coacerventur; seù tandem medicamento principi cujus eximia & evidentissima virtus, alia minus compertâ inferiorique virtute donata malè associantur; imprimisque hæc sedulo vitetur talium appositio quæ omnem unionem indomitè respicientia, fastidium, præ omnibus mixturis pharmaceuticis, miseris ægrotantibus malè suscitant; oleorum v. g., balsamorum, spermatis ceti, aliorumque cum aqueis, lacte, emulsis, dulcibus, nuda permixtio; mannæ v. g. & olei amigdalorum miscela nulli fastidioso haustui in universa pharmaceuticâ culinâ secunda.

Hæc est altera lex: non inter se pugnent, seu se mutuò virtute medicatâ destruant, vel immutent, varia compositorum ingredientia. Quot & quanti ex istius legis inobservantiâ incitæ trophæa (acriter notante Fullero) filo Pharmacopœorum appensa prostent, infinitum foret enumerare. Ex hoc tantum id innui velim simplicissimo exemplo; dùm quis sacchari saturni dissolutionem præscribit in decocto quodam astringenti prò injectione, minimè veròsimiliter suspicatur se liquorem præscribere in quo nè micula quidem sacchari saturni, ipso affusionis instanti, perstat; at verò verius est non solum sal ejusmodi, extractis vegetabilium astringentibus, verùm ipsâ aquâ communi absolute præcepti dari. Nè temere ergò remedia præsertim Chimica improviso eventui in mixturis tradantur; verùm hæc cautè & quantum licet solitariè exhibeantur; aut saltem tractent fabrilia fabri.

Canones practici singulares quibus fundamentale istud præceptum religiosè observetur, è Chimix sinu tantummodo eruendi, integra arris systema revelando: malè verò, & perfunctoriè sanè, varias corporum relationes sigillatim memorando, & extrâ artis sinum segrege eliciendo. Institutio enim philosophica ad universalis disciplinæ normam singularia quæque disciplinæ objecta disponere tantum novit.

F I N I S.

